



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

[§. 1. Summaria Cognitio Natura, & Divisionum Feudi.]

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

liæ rem Emphyteuticam. Quarto, quando plures habentes rem Emphyteuticam in communem, eam inter se dividunt. Quorum omnium ratio est, quia in his quatuor casibus translatio est, seu reputatur, necessaria. Vide hæc minutius tractata à DD. præcitat.

5. Inquires secundo, quantum est pretium dicti Laudemii.

Respondeo. Ex jure communi l. 3. cap. de Jure Emphyteutis, at ex consuetudine esse trigessimam, asserit Less. l. 2. c. 24. n. 57. sed esse decimam, ait Garfias c. 24. de contract. ex qua loquendi varietate collige, esse diversam in diversis Regionibus Laudemii taxam, quæ certè servanda est.

6. Neque ab hac doctrina longè abest etiam taxa Canonici solvendi, cum enim, ut supra innui, Canon solvatur non tam in pretium, quam in recognitionem domini proprietatis, est multum expensenda consuetudo Regionum; solet autem, ut plurimum esse multò minor, quam sit pretium præsentis utilitatis, quæ venditur in hoc contractu. Præsentis utilitatis, dico, nam futura utilitas, quæ proveniet ex melioramentis ab Emphyteuta faciendis, pertinet ad ipsum Emphyteutam, qui ea melioramenta faciet. Nec tamen inferior in dicti Canonis taxa definienda, debere haberi rationem non solum dictæ utilitatis veluti in genere, sed hujus rei specialis, quæ inesse à prudenti viro, & experto affirmatur in hac peculiari re, quæ datur in emphyteusim, pluris enim valet dominium utile hujus prædii in perpetuum, quam ad aliquot annos: pluris, quando res, vinea, v.g. recenter plantata sine multo labore speratur esse melioranda, & uberius fructificatura, quam vinea efficta, & vetus: pluris, si, ut fructus vendi possint, debeant cum paucis expensis ad locum vicinum deportari, quam si ad longè distantem, &c.

7. Inquires tertio, an possit Proprietarius primò, non approbare alienationem, quam intendit facere Emphyteuta, seu, ut loquimur, non dare investituram novo Emphyteuta. Secundo, an possit nolle accipere Laudemium, inò & Canonem?

Respondeo ad primum, non posse, si res alienanda sit ad hominem aptum, & qui pensionem solvere possit, legimèque solvere promittat. Quare tunc proprietarius tenebitur assentiri, solumque duos menses habeat ad deliberandum, utrum ipse velit præferri, necne? Respondeo ad secundum, nec posse, si oportuno loco, & tempore, tum Laudemium, tum Canon offeratur, & nolit liberaliter remittere. Ratio utriusque responsionis est, quia tunc Emphyteuta jure suo alienandi dominium utile, quod suum est, utitur, Laudemiumque, & Canonem justè, & sine mora offert, cur ergo illi non erit acquiescendum? Lege Rebelleum, l. c. Sylv. l. c. quest. 14. Less. l. c. num. 54. aliòque.

CAPVT V.

Quinta Proprietas.

Succesio in eadem onera,

1. Quid easdem habeat obligationes successor legittimus, quas contraxit ex justo contractu prædecessor Emphyteuta, nimis est manifestum, quare nihil in hoc amplius innotandum.

2. Quæres tamen, qua ratione successoribus deveniant ea, quæ prædecessores acceperunt in Emphyteusim?

Respondeo: Longa est & propria Iuris peritorum hæc tractatio: Illa ergo ab eisdem, Clar. de Emphyt. Bart. in Auth. ingress. num. 37. De Sacrosanctis Eccles. Redoan. de spol. Eccl. Covarr. 2. variat. c. 18. (nec omittantur Theologi, ut Mol. d. 482. & alibi Azor. 3. p. lib. 10. c. 10. Fill. Tr. 36. c. 8.) erit meritò requirenda.

3. Notant autem nonnulli, quos inter Bonac. d. 3. de contr. q. 8. p. 2. num. 34. v. Septimò sequitur, in Emphyteuti,

Pars III.

& multò magis in Feudo, non succedere filias feminas, nisi expressè aliud exprimat. Adderem ego, & nisi alibi alia sit consuetudo, cum in contractibus nomine filiorum non veniant filiae, quicquid sit, an veniant in ultimis voluntariis, sed certè in his, & similibus maxime perpendendæ sunt (ultra consuetudinem, quam ego modò addidi) leges municipales, & propriæ.

CAPVT VII.

De Libello.

1. Ictè communiter etiam Feudum, & Emphyteusim vocari possunt Libellum, seu Livellum, seu contractus Libellatus, propriè tamen Libellum est contractus subfeudalis, seu subemphyteuticus, quo scilicet quis Feudum, vel Emphyteusim ab aliis accepta, alteri tradit sub justa, & quasi ad Libellum mensurata pensione (de qua mensuratione, qualis ea esse debeat, vide Sylv. l. 2. quest. 16.) Sicut enim conductor potest rem conductam justo pretio sublocare, sic Emphyteuta rem acceptam in Emphyteusim potest alteri, ut ita dicam, subemphyteicare.

2. Nihil ergo de hoc contractu est dicendum, quod ex allatis in superioribus colligi non possit, cum Libellum, ut dico, verè sit contractus Emphyteuticus. Quod si inquires, à quonam debebit Laudemium solvi, quando initur ejusmodi Subemphyteusim, & cui solvi oportebit?

Respondeo, juxta supra, cap. 5. num. 3. dicta, debere Laudemium solvi à novo Emphyteuta Domino directo, eundemque Dominum directum approbare debere ejusmodi sub Emphyteusim, investituram, seu possessionem, eam tradendo novo Emphyteuta.

CAPVT VIII.

De Feudo.

§. I. Summaria Cognitio Naturæ, & Divisum Feudum.

1. Hæc Iuris peritorum est Germana tractatio: nam propterea solum hic nonnulla delibabo, quæ à Moralibus Theologis ignorari, turpe nimis esset. Et quidem quatuor dumtaxat eligenda erunt Primò, quid, & quotuplex sit Feudum. Secundo, quæ sunt conditiones contractus Feudalis. Tertio, quæ obligationes Feudatarii, id est, ejus, qui feudum recipit. Quarto, quæ causæ feudatarii Feudo privant. Nam de aliis questionibus, puta quis possidere feudum possit, quis in eodem succedere, quis de libris feudalis sit legitimus Index, & de sexcentis aliis, legantur Iuris periti passim agentes de feudis.

§. II. Quid, & quotuplex sit Feudum.

1. Sic in universum describitur, Glossa allata à Sylv. v. Feud. initio, Feudum, Est concessio rei immobilis pro Homagio. Id est, pro obsequio personali, quale est associare Principem ad Bellum, convenire ad publicæ comitia, quod vocant Parliamentum, &c. Qui feudum concedit vocatur dominus, qui recipit, Vassallus, seu etiam Feudatarius.

Porrò, Genera Feudorum undecim numerantur

1. Primò, Proprium, & Improprum.
2. Regale, non Regale.
3. Antiquum Paternum (est etiam Maternum) & novum;
4. Nobile, Ignobile.
5. Ecclesiasticum Sæculare.
6. Masculinum, Femininum.
7. Hereditarium (quod certè debet filius computare in portionem legitimam) & non hereditarium.
8. Reale, Personale.

D d 3 9. Divi